

**Historia gemellorum coalitorum monstrosa pulcritudine spectabilium ... /
auctor Augustus Johannes Davides Sigwart.**

Contributors

Sigwart, August Johann David.
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Literis Bauhof et Franckianis, [1769]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ptam65hx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

5

HISTORIA
GEMELLORVM COALITORVM,
MONSTROSA PVLCRITVDINE
SPECTABILIVM,

QVAM
ADJVNCTA ALIQVA DE MONSTRIS, HORVMQVE
ORIGINE, DIATRIBE,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO,

D O M I N O

C A R O L O,

DVCE WIRTEMBERGIAE AC TECCIAE, rel. rel.

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE,
P R A E S I D E

PATRE

GEORGIO FRIDERICO SIGWART,

Dr. MEDIC. ET P. P. O.

DISSERTATIONE IN AVGVRALI,

d. 27. oct. A. MDCCCCLXIX.

PRO GRADV DOCTORIS IN MEDICINA,
CVM PVBLICO COMMVNICAVIT,

A V C T O R

AVGVSTVS JOHANNES DAVIDES SIGWART.

PROSECTOR.

T V B I N G A E,
LITERIS BAVHOF - ET FRANCKIANIS.

5
HISTORIA

GEMELLORVM COALITIONVM
MONSTROSA PULCRITUDINE
SPECTABILVM

QVAM

ADIVNCTA ALIQUA DE MONSTRIS, HORVMQVE
ORIGINE, DIATRIBE,

RECTORE PVIERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DICE AC DOMINO,

D O M I N O

C A R O L O

DUCE WIRTHEMBERGIAE AC MOECIAE, ETc.

CONSENSU GRATISSIME ENTHUSIASTE ALIDICE,

P A T R I

P A T R I

GEORGIO FRIDERICO SIGWART.

Dr. Medico et P. P. O.

DISSERTATIONE IN ANATOMIA.

d. 27. Oct. A. 1799.

PRO GRADU DOCTORIS IN MEDICINA,

CVM PVBlico COMMUNICAVIT,

A V C T O R

AVGVSTVS IOHANNES DAVIDES SIGWART.

PROSECTOR.

FRANCOF.

LITTERIS BAYHOE. ET FRANKFURTI.

P R Æ F A T I O.

Quo uberiora, quo certiora latioraque sunt commoda, quæ ad communem salutem hætenus præstitit, & ultrapræstare poterit, fida illa operosiorque Pæonis famula, Anatomie, eo auspiciatiora sunt nova SERENISSIMI DUCIS nostri instituta anatomica, quibus omni ad hos labores necessario adparatu, & cadaverum copia, ita sapientissime prospectum est, ut non modo publicæ atque privatæ dissectiones, & demonstrationes, abunde & commode peragi possint, sed & quod alias aut plane non licet, aut difficilius est, & sine majoribus impensis fieri nequit, præparata inde comparare, & reportare liceat, in usus futuros, publicos atque privatos, asservanda. In ea, hoc æque ac multis aliis nominibus, feliciora Musarum nostrarum nos incidisse tempora, neminem bonorum non letari mecum video. Equidem sane, qui ipso CLEMENTISSIME mihi delato Professoris officio tantæ felicitatis propius factus sum particeps, omnium indignissimus forem, nisi eo ipso vividiore gratissimi animi affectu ad quævis tenuium mearum partium officia tuenda, & explenda, me exstimulari sentirem. Præter alia curare jussus sum, ut specula nostra anatomica præparatis quoque ornetur, & locupletetur. Hanc officii mei vicem explendi occasionem etiam dedit nuperum par nobile fratrum, monstroso coalitu infelix, felix præda anatomica, quibus dissectis perlustratisque, singularia, quæ ex illis servari potuerant, præsertim rariora eorum sceleta, præparare, præparataque in futuros usus reponere licebat. Cum vero non nobis solis editum esse putaram hoc naturæ spectaculum, aeri illud incisum, cum pleniori ejusdem historia, publicare constitui, facili conjectura ductus, aliis naturæ curiosis id haud ingratum fore. Nullam hic adfectare licet novitatis gloriam, quæ solam manet naturam, mirabilium novorum antiquam parentem. Neque literaturæ specimen jam molior, quo hic certe nil fuisset facilius, si vel sola, quæ in PATRIS bibliotheca deprehendi, scripta excitare, ex iisque excerpere voluissem, quas de monstris historias promulgarunt, & sententias. Præterea adjungenda erat spectabili horum gemellorum effigiei aliqua epigraphe. Volui enim specimen inaugurale non nude historicum, sed historico-dogmaticum, ne posita nuda hujus fabricæ recensione effugere voluisse viderer uberiores disputandi occasionem. Utrumque, ut huic ipsi instituto, ita & officio meo, consentaneum esse existimavi. Mallem equi-

❖ ❖ ❖

equidem in abstrusa illa de monstris doctrina abs aliis mihi monstrari potius, quam monstrare aliis filum Ariadneum. quo ex illo liceret elabi felicius. Quæram interea illud, sequarque, quoad potero. Præterire studebo, non tantum plane nobis præclusa hujus doctrinæ penetralia, sed & ea, quorum aditus aliis forsitan non, ut mihi præclusus est, relicturus sic suos cuivis adeundos anfractus & meandros, Theologis theologicos, Jurium Interpretibus juridicos, Ceteris ceteros. Separabo porro ab utilioribus minus utilia, certiora a minus certis. Quam maxime autem cavebo, ne nudas dicendis immisceam hypotheses, hoc ipso consilio periculum facturum, an non ita forsitan nonnulla hic hætenus tantum probabilia ad certitudinem evehi possint, & componi, alias diversissimæ visæ sententiæ, ut in illa, noviter acrius revocata, controversia, in qua Alii, monstra divinæ originis esse contendunt, Alii contra id dicere, irreligiosum esse clamant. Ita vero, qui equidem hætenus in edendo hoc specimine visus sum timidior, jam nunc forte videor audacior. Non plane id negaverim. Juvat vero etiam audere aliquid nonnunquam, modo abfuerit ab audacia temeritas. Ceterum in abstrusioribus ejusmodi doctrinis non mox omnia attingimus. Multa sæpius nos præterfugiunt. Vel ipse magnus HALLERUS in hac ipsa doctrina id sibi accidisse, & post duodecim annos, qui ab illo, quo prima vice de monstris scripsit, effluxerunt, varia se deprehendisse mutanda & emendanda, non potuit non fateri ingenue & dissertis, quæ hic retinui, verbis, in nova Præfatione ad Anatomem fetus bicipitis ad pectora connatis, quam repetiit in nova Editione opusculorum suorum anatomicorum de respiratione & monstris Göttingæ 1751. Quid, quæso! non accidere poterit nascentibus literarum cultoribus? Quis eos tum non habebit excusatos? Si quid ergo hic dixerim minus apte, minus exacte, minus solide, aut plane erronee, in eo, vel melioris intentionis, vel tenuium virium mearum, excusatione uti licebit, quam mihi spondet omnino B. L. æquitas.

Tantum de fine, aliisque hac spectantibus, quæ Præfationis loco ipsi tractationi thematis præfixi præmittenda erant.





§. I.



d ipsum jam tractandum argumentum aditum jaciendum, limitesque, dicendorum debite figendos. *primarium omnino fundamentum præbet accuratior thematis præfixi determinatio*, heic itaque ante omnia substernenda. *Historia* ea est cognitionis species, qua versamur circa existentia, qua talia. v. PATRIS *Diss. de Tripede*

Heiterbac. §. 9. Hoc nomine, pressius ita sumto, occupabor circa oblatis fetus bicorporei *historiam*. Hæc vero neque ejus *historia anatomica*, neque nude ejusdem *anatomia*, satis accurate dici potuisset. *Prior* angustioris significatus locutio non inuoluisset reliqua *historica*, heic non omittenda; *posterior* autem latioris fuisset ambitus, quia non tantum illam, quæ nobis præprimis concessa est, *historia naturalis*, sed & *technologia*, partem, nostram, puta, *secundæ artis*, innuisset. *Gemellos coalitos* porro a limine mitius salutare malui, quam monstrum bicorporeum, ne quid, durius alias accepto hoc nomine, alteri eorum aliquid videri posset detrahi *characteri proprio*, quo illos insuper apertius signatos in publicum

producere volui adjuncto ipsis elogio, quo *monstrōsa pulcritudine spectabiles* a fronte inscribuntur. *Monstrōsa*, inquam, sine repugnantiae vitio. Neque enim *monstrōsum* excludit *pulcrum*, neque *hoc illud* negat, quum illud a regula tantum ordinaria deflectens audiat, adeoque regulare pulcrumque non plane excludat. Præterea *spectabiles* omnino se nobis sistunt gemini hi fraterculi, *spectabiles* quippe *novitatis*, *rarity*, *pulcritudinis*, *utilitatisque*, ex eorum spectaculo reduntantis, ratione.

§. II.

Reliquus inscripti *thematis* tenor facile se prodit. Quæ *historiæ* dictorum gemellorum adjuncta est *disquisitio dogmatica*, *diatribe* inscribitur, *apto*, respectu instituti hujus, *vocabulo*, quo una indicatur, ex fine in *Præfatione* indicato dijudicanda esse, quæ hic tractanda sumsi. Deinde notari velim, *aliquam* tantum, adeoque non plenam, promissam esse *de monstris* horumque origine, *diatriben*. Denique non *generationis*, sed *originis*, utendum erat *vocabulo*, quoniam hic demum dispiciendum erat, utrum a *generatione*, an vero ab *altiori origine*, repetenda esset monstrorum existentia.

§. III.

Quod ad *methodum* dicendorum, facile intelligo, eam in tradendis *historicis* faciliorem esse, quam in *dogmaticis*, sin in his illa etiam non fuerit plane *rigorosa*, in qua per *notationes*, *distinctiones*, *definitiones*, *divisiones*, *axiomata*, *confectaria*, *theoremata*, eundo *explicite*, & nominatim positis eorundem momentorum omnium *characteribus*, casta, nuda, certissime deprehenditur veritas, deprehenſaque sic aliis sistitur in pulcerrima sua hac castitate amabilissima. V. PATRIS *Pantometron Eruditionis*. Paris. 1752. §. 18-24. EJUSDEM *Tripes H.* §. 81-84. Ita vero eam ab aliis deprehenſam, oblatamque, amplecti, dulcius omnino est, faciliusque, quam deprehendere, aliisque offerre. Sed præter regiam hanc viam, aliæ quoque dantur, in quibus ea se nobis non plane subducit.

ducit. Illarum una, eademque facilior, est, quæ Socratica dicitur. Hanc igitur hac vice terere liceat in promissa *diatribe*, gemellorum nostrorum historiæ subjungenda.

§. IV.

Plane nullius usus esse *doctrinam de monstris*, neminem, qui dicat, esse credo. Ast tanti non esse, ac reapse est, ea putari posset, & haberi nimis *abstrusa*, cui operose non esset inhærendum. Retorserim hoc argumentum. Quo enim abstrusiora sunt naturæ phænomena, eo operosiore indagine illa digna esse existimaverim. Existimarunt majoris nominis naturæ Interpretes, qui in illa colenda multi erant. Quæ in arcanis habet natura, ea non ideo semper in plane celatis, seu in *occultis*. *Occulta* igitur & *abstrusa* debite discernamus, oportet. Illa omnino intacta nobis relinquenda sunt, non hæc æque. Hæc nos rimari decet. Monstra loquitur ipsa *natura*, cur nos non loquamur monstra? Non frustra ejusmodi nobis offeruntur spectacula. Ergo æque spectanda sunt, ac quæ ordinario cursu natura edit mirabilia. *Fines* suos agnoscunt, ob quos existunt. Nosne non attendamus ad illos?

§. V.

Semper aliquid novi affert non Africa sola, & India, sed & Europa, & Germania nostra. Haud vero *novitate* & *raritate* se commendant tantum monstrosæ fabricæ, sed & monstrositatis suæ *pulcritudine*, nondum satis cognita, & male a multis hæctenus prætervifa. Spondet præterea monstrorum contemplatio alios adhuc quam plurimos *usus*, quos ex parte ILL. HALLERVS in *Opusc. anat.* p. 155. ita perorat: *Inutilis certe est eorum curiositas, qui extimos tantum artus ruditer, neque semper fide, iconibus utrumque adumbraverunt. Anatome vero monstrorum, licet minus veræ utilitatis habere videatur, quam simplex, & perpetua corporis humani fabrica recte exposita, commendat se tamen novitatis gratia, & continet aliquando semina veri, quæ nunquam e consueta structura corporis nata fuissent. Prætereo alios usus, non omnes heic enumerandos, aut prolixius declarandos,*
histo-

historicos non modo, sed & dogmaticos. In numerato: metaphysicos, phyzicos, anatomicos, physiologicos, medicos, morales, forenses, ecclesiasticos. Conf. Tripes Heiterbac. §. 4-6. 80.

§. VI.

Ut itaque mirabili sua existentia vel ipsa monstra loquuntur ubique, ita, quod monstra loquantur, habent in omnibus Facultatibus THEOLOGI, JCTI, MEDICI, PHILOSOPHI. Modo cavendum solicite est, ne nos ab istis decipi patiamur *Historiographis*, qui male monstra loquuntur, & loquuntur toties, ubi nulla sunt, e. g. in illis præsertim de *diversis generis monstris* historiis. *Probanda* hic est, & non nisi *probata* audienda *fides historica*, cum sint sæpe, qui isthæc loquuntur, quorum fama & auctoritas ægre dubitare sinit. Obstant sæpissime etiam neglectæ monstrorum *adcuratiores observationes & sectiones* (§. 6). Partem difficilioris hujus laboris exonerare cœpit Ill. HALLERVS laudabili illa & operosissima industria, qua in *opusculis* suis *anatomicis ex probatioribus* scriptis *quingentas l. c.* adeo congestit *historias*, ex quibus solis nummerosas suas ibidem petendas esse *citationes* censuit, eoque ipso optare sinit, ut participes nos faceret, separatim edito hoc catalogo, cui, ut fidem fecit in *cit. Præfat.* procul omni dubio interea plures addidit, & additurus est in posterum.

§. VII.

Neque morabor circa reliquorum dicendorum *varietatem*, indeque petendam *Partitionem*. Eorum etenim *distincta*, horumque articulatim expendendorum *ordinem*, sponte offert vel primus præfixi argumenti complexi aspectus. Quam nempe adjungere promisi diatriben, eam omnino jam præcedit:

HISTORIA GEMELLORVM COALITORVM.

VIII.

Ut primum ad me ab EXTERIS reducem rarioris alicujus, quem in proximo vicino pago editum esse, fama ferebat, partis
noti-

notitia pervenerat, in eam curam incumbendum mihi, & nulli rei ac impensæ parcendum esse duxi, ut eum in finem lucrarer illum. Vehementer ut fieri solet, parentes renuebant petito, & omni etiam pro capto plebis factarum persuasionum & promissionum vi adhibita, reclamabant. Omnibus itaque irritis hisce sollicitationibus privatis, eorum tam ecclesiastici, quam politici, ordinis Præfectos in auxilium vocare cogebar. Horum laudabili industria, & prudentia, quam grati agnoscimus, factum est tandem, ut non quidem gratis, nec melioris convicti, persuasi attamen, iuste quidem, cum convictionis ut plurimum impos sit ejusmodi plebecula, suam nobis concederent prolem. Quæ cum ita vulgo se habeant, nec omnibus ubique sit, quod modo laudatis Viris, de hisce rebus iudicium, easdemque promovendi studium, cum insuper tamen non in ordinariis tantum, sed & in minus ordinariis, ejusmodi naturæ productis faciendæ *observationes*, indeque acquirenda *preparata*, tam ad splendorem, quam ad veriores usus, plurimum conferant, optanda omnino esset publica ad id facultas, *speciali* danda *edicto*, quam hac sic subnata occasione proponere conditionem, ab officio meo alienum non putari poterit. Data itaque præsentis partus infelicioris felici potestate, nil in mora habui, quo minus illi omnem meam locarem operam. In ea exquisitius perficienda usus sum omnino OPTIMI PATRIS adjutricibus auspiciis. Ejus enim sunt momenti ejusmodi dissectiones, ut longo usu exercitatos postulent, utpote qui rerum ordinariorum satis gnari, *rectum* & *obliquum* debite possint conferre, & determinare.

§. IX.

Rectum itaque, perinde ac *obliquum*, undique exquisitius per-
lustrari oportebat, duplici utrinque integra prope anatomia, de-
tectisque omnium partium systematibus. Multo breviori omnino
sectione, citiusque, rem expedire licuisset, si quidem constitisset
præter illa, quæ a principio laboris oblata fuerant singularia, nul-
la amplius delituisse. De quo ut certior redderem nil prope inta-
ctum relinquendum erat. Recta autem sic deprehensa ad minutis-
sima usque hic repetere, superfluum foret, quin suffecerit forte sola

indicasse obliqua, & dixisse, reliqua fuisse ordinaria, nisi sectionis & observationum ordo subinde aliud suasisset.

§. X.

Ne quid autem, quod ad historiam horum gemellorum spectat, omittam, de eorum *nativitate* quædam prius referenda sunt, quam ad ipsam eorum historiam anatomicam progrediar. Nata hæc est misellorum biga anni, quem agimus, 1769. d. 3. Febr. in *Præfecturæ Lustnaviensis* pago, *Tubingæ* nostræ vicino, *Dettenbusa* dicto, parentibus infimæ sortis, matre annorum 32, uxore *Johannis Aberleni*, coloni, matre quinque liberorum, quos omnes feliciter enixa est, habitus gracilioris, nulla graviditatis tempore *imaginationis* vi, aliave injuria turbata. *Gravida* varia ex abdominis pondere & expansione, ut fieri in his solet, patiebatur. Justo tempore doloribus ad *partum* corripiebatur, sub quibus *viventis* fetus notabiles motus adhuc sentiebat, quos etiam ipsa observabat obstetrix, ut non dubitare liceat, an vivus in lucem prodire potuisset, artis obstetriciæ peritioribus adjutus. Doloribus per horas octo perseverantibus & invalescentibus tandem unum protrudebatur caput, quod paulo post urgentibus atrocissimis nixibus sequebatur alterum, paululum reclinatum & ad alterius collum humerumque repressum. Quibus laboriosissime ita exsertis, reliqua duplicata corpora ordinatius faciliusque prodibant. Præterea, quo conjectu facile est, *partus* hic adeo *difficilis* erat, ut misera mater ad extrema adacta, sub filiorum suorum naufragio, vita vix superstite emergeret, necdum plena valetudine gaudens, & nuper abortum passa.

§. XI.

De *secundis*, excepta earum particula in ipso fetu relicta, mox describenda, nil certi habeo, quod referre possim. Cum enim earum explorandarum causa obstetricem adirem, illæ jam remotæ erant, non amplius obtinendæ. Referebat ceteroqui unam adfuisse *placentam*, vulgaribus non modo *amplio*rem, sed & *crassio*rem, præsertim circa funiculi insertionem, quo ille autem in loco, & quo-

quomodo fuerit insertus, rescire non poteram. Nec mirum, cum vulgares hæ feminæ ad ejusmodi res vulgo non attendant.

§. XII.

Ad ipsos convertor gemellos nostros, integros mihi concessos, necdum ulla putredinis macula conspersos, nec alio modo ullatenus defædos. Lætior erat utriusque universa facies externa, si a solo alterius labio fisso discefferis. Venustiores comparebant injecta in illos subtiliore purpura, qua ita suffundebatur rota quanta adeo superficies externa, ut noviter cruentati viderentur, & ut in vivis alias naturali rubore tincti. Neque vero jucunditatis tantum gratia ea facta est iniection, sed alio potius *sine*, *duplici* quidem, *uno* scilicet, ut postea in intimioris fabricæ analysi præcipue etiam vasorum dispersiones, anastomoses, coalitiones, si quæ forsitan forent, utrique gemellorum communes, eo facilius detegi possint, *altero*, ut celerior putredo auerteretur, ob facile prævidendam diuturnioris sectionis necessitatem. Vnde omnino fas erat, in eo ILL. HALLERVM imitari, qui idem eodem procul dubio fecit sine in suis, nostris fratribus prope per omnia similibus, sororibus. *v. cit. opusc. anat. P. IV. §. 4.* Feci autem illam per *venam umbilicalem*, quæ *unica* aderat. Vnde jam certior factus sum, aliquem adesse communem vasorum nexum, adeoque utrumque fetum una repletum iri. Id quod protinus manifestabat rubor, quo utriusque adeo integumenta communia quasi reviviscebant.

§. XIII.

Attentius adspiciens, & circumspiciens, mirabilis hujus bigæ formam & figuram, eam a capitibus ad calces usque, cum minima exceptione, mox dicenda, prope per omnia *similem* deprehendebam, rarissimo, quantum equidem scio, exemplo. Atat, quod magis mirum, æque ac rarum, non modo *similes* erant hi gemelli, sed etiam *æquales*, statura ætati conveniente. *Æquales* adeo, tum quoad totam utriusque staturam, quam quoad partes & membra

singulorum. Tales videsis *Fig. I.* ubi integros, cultroque nondum tactos, icone duplicata expressos, sed excusationem nitoris, non mea culpa deficientis, petentes, Curjosorum oculis exhiberi curavi.

§. XIV.

Pulcre & abunde *capillati* erant, *ungues* plane efformati, prominentes. Vtriusque *maturitatem* & *perfectionem* quoque ostendebant omnes reliquæ partes externæ, & qualitate, & quantitate.

§. XV.

Vnicam a pulcritudinis regula exceptionem faciebat fissum, a figuræ similitudine *leporinum labium* dictum, quod cum aliqua fissura maxillæ superioris, illi respondente, in altero gemellorum observare erat. *Fig. I. a. Fig. II. d.* Quo itaque nomine solo solus hic fetus male deformatus dici possit, Quoad reliquam enim fabricam uterque bene, neuter male, deformatus erat, quia uterque pulcre, & pulcre, quia utrinque reliqua omnia miro consensu in unum conspirabant. Tales jam offerebat vel ipsa *coalitionis externæ facies*, quam juxta a pectoribus umbilicotenus *Fig. I. c. h.* ordinatissime & ita adunati erant, ut dexteriores unius sinisterioribus alterius, & dextra illius sinistris hujus obversa, quam exactissime responderent. Ita & inter utrumque abdomen funiculus medium tenebat, areæ latiori, tenuiori & prope transparenti insertus *Fig. I. c.* in quamprocul dubio sub partu difficillimo demum distracta est regio hæc umbilicalis media.

§. XVI.

In ipso *funiculo* crassiori, præter *unam venam* solito *ampliore*, per quam facta est injectio, oculis propius dispicientibus facile observari poterant *quatuor arteriæ umbilicales*, angustioris diametri, ut vix tenuissimum specillum immittere potuerim.

§. XVII.

§. XVII.

His omnibus ita lustratis, fida manu, vigilique mentis oculorumque acie, cultrum anatomicum nostris admovendum erat, sectionis initium capiendo ab umbilicali fune. Eo enim filo ad labyrinthum reliquæ fabricæ optimè me duci, præfagire facile erat, & ipso facto mox experiebar. Dissecta igitur funiculi *area*, qua is cingebatur, illico observabam *solitariam venam* dextrorsum paululum deflectere, arteriarum autem bigas lævorsum dextrorsumque discedere, & separatim ad suum utrumque abire fetum. Remotis in uno duplicato latere *integumentis abdominis communibus*, ejusdem *musculi* numero situque consueto adesse observabantur, sed valde tenues, suas fibras, ab utroque fetu venientes, in concursu confundentes, Oppositum commune latus integrum relinquendum erat, ne situs interaneorum perverteretur.

§. XVIII.

Sic itaque in conspectu erat *peritoneum*, commune, firmum tamen satis, quo eum in modum dissecto, ut funiculus umbilicalis, umbilicus, vasa umbilicalia, partesque, quas adeunt, in nexu relinquerentur, cavum hoc ita reclusum inspectanti offerebat viscera, in situ suo conservata, jam perlustranda. *Cavum*, hoc erat commune, omnia vero in eo, vel *duplicata*, vel *quadruplicata*, sua itaque utrique viscera propria, uno excepto, jecore nempe, quod quoad molem suam tamen pro duplici haberi potuit, & ex duobus coalito, nec coalitus vestigia erant valde obscura. Dux ipsi adpositæ erant *vesicula felleæ* Fig. III. n. o. duabus disitis foveis insidentes. Sub hoc itaque viscerum adparatu comparebant, duo *omenta*, totidem *mesocola*, duo *ventriculi*, Fig. III. f. g. utrique suum subjectum *pancreas*. duplex a pyloris productus *tubus intestinalis* Fig. III. k. l., duo systemata *genitalia*, duo *uropæja*, *lienes* duo, *urachi* gemini, *glandule suprarenales* dictæ, quadruplicatæ, *arteriæ umbilicales* quatuor, duo trunci *aortici* abdominales, qui in quatuor findebantur *ramos iliacos*. Reliquæ arteriæ, *vena portarum* abdominalis, *nervi*, *plexus nervosi*, qui satis notabiliter exstabant, verbo: reliqua,

reliqua, præter mox dicenda, pariter utrinque ordinariam servabant regulam. Ut mirum, quod ne quidem *renalìa vasa*, quæ alias adeo frequenter ab illa abludunt, aliquid insoliti habuerint.

§. XIX.

Jam duce *vena umbilicali* ad explorandam ipsius *insertionem* in portarum truncum, vel radicem, ultra progressus, reperiēbam, eam in hunc non, ut ominabar, fissam terminari. Ex portarum vero *trunco*, qui *unicus* erat, duo emittebantur *canales venosi*, singuli ad singulas cavas producti. Hæ ergo illæ erant viæ, per quas injectus liquor suum in universum utriusque corpus transiitum inveniebat. Reliquæ in singulis viæ vulgares notæ sunt.

§. XX.

Ut duplicis tubi intestinalis convolutiones melius considerare possem, constitueram unum post alterum flatu replere. At ecce! illo in unum immisso, protinus uterque eo distentus exurgebat. Causam hujus communicationis exploraturus a pyloris intestina evolvere incipiebam. Ita mox in manus oculosque incidebat plane singularis ille *duodenorum concursus*, cujus imaginem sistit *Fig. III. K. l. m. jejuni dissociatio p. q. r. s.* a qua duplex iterum factus hic tubus intestinalis, consueta serie ad anos usque excurrerat. Præterea nil, quod in hoc cavo a solito ordine discessisset, deprehendebatur.

§. XXI.

Aperiebatur itaque medius **VETERIBVS** dictus venter, *thoracis* cavum. Pro obtinendo *integro sceletō* duplicato, pectoris ossa indivulsa in nexu suo conservare constitueram. Nil itaque obstare prævidebam, quo minus ad hoc cavum *diaphragmatis* remotione aditus parari posset. *Commune* erat hoc septum, & ordinariis viis exitum parabat solitis, in abdomen producendis, partibus. *Musculi diaphragmatici*, superiores, inferiores, duplicati erant,

erant, & subinde confluebant. Centro ejus tendineo adnatum erat *pericardium*. Diaphragmate jam provide semoto, & dato sic spatio satis amplo, omnia suo ordine contueri, & examinare licebat thoracis viscera.

§. XXII.

Pericardium unum deprehendebam, liquore rubello copiosiore repletum. Primo adspectu unum adesse videbatur *cor*. Erant autem duo, plane distincta, proxime vero se amplectentia, & superficiebus complanationibus sibi invicem adcumbentia, interjecta aliqua cellulosa potius, quam vere membranacea, textura. Utrique suæ appensæ erant *aures*, consueta *foramina ovalia*, *vasa* utriusque generis solita, quorum posteriores dissectiones pariter ordinariæ, *ductus arteriosi* duo, ampliores quam *pulmonales arteriæ*, quæ iterum majores, quam *aortæ*. Præterea hic observare erant, *vena azygos* duplicata, *thymi* duplices, *pulmones* quatuor, quoad qualitatem & quantitatem naturalibus similes, similes etiam alteri alteribus. *Nervi* octavi, intercostales, recurrentes, brachiales, cardiaci, reliqua, usitata naturæ lege excurrebant in utroque.

§. XXIII.

Cerebra, ut eorum satellitia, æque ac reliqua in capite obvia, omnia quotquot ad vulgarem naturæ regulam composita. Idem dictum esto de reliquarum molliorum partium fabrica. In *sceletis* denique præter utriusque *sterni nexum*, quo utrumque utriusque fetui erat commune *Fig. II. e.* & fissam maxillam superiorem *Fig. II. d.* nil, quod non ad ordinariam regulam factum fuisset, occurrebat. A vulgari autem naturæ regula abludentia, ut pauciora, licet non ideo minus laboris faceffentia, erant, ita & eadem satis examinata descriptaque hæcenus esse existimo.

§. XXVI.

Supereft, ut horum gemellorum historiæ adjungam promissam de monstris, eorumque origine, diatriben (§. 2.) erotematicam (§. 3).
Libe-

Liberabo fidem ea, qua fieri poterit brevitate, ea, qua dixi in *Præfatione* consilii ratione, quam juxta itaque sequitur

SVCCINTA DE MONSTRIS, HORVM- QVE ORIGINE, DIATRIBE.

§. XXV.

Nisi ante omnia intelligatur, quid veriore ejus, de quo agimus, nomine veniat, nil certe, quod operæ pretium faceret, inque orbe literario auditu dictuque dignum esset, dici poterit. Prius itaque, quam de monstrorum origine intelligentius aliquid proponere licet, quærendum erit;

*Monstrum quid?
quæ ejus dictio?*

§. XXVI.

Vaga, hercle! nimisque *ambigua*. Sed, ut alias aliæ solent, ita & hic ambigua ejusmodi dictio, errorum, minimum logomachiarum, indeque ortarum litium inanium, genetrix esse posset infelicissima. Ergo figenda, & ab omni *equivocatione* liberanda. Male enim nimisque *faciles in terminis* esse vellemus, ut vulgaris est sermo, si de *technico dicendi genere* non adeo sollicitos nos esse oportere existimaverimus. Nolim autem immorari hic curiosiori, licet ceteroqui non semper in Disciplinis negligendæ, nomenclaturæ, quam curarunt alii, præsertim JOH. GERH. VOSSIVS in opore suo *posthumo* p. 327. sub titulo: *monstrum*. *Distinctione præmissa* vocabuli significatum determinare conabor. Monstrum nempe, vel *improprie*, vel *proprie*, dicitur. *Priori sensu* de magnis, vel bonis, vel malis. Illo monstra Eruditionis, magni dicuntur Eruditi, hoc G. FRANCIVS scripsit de *medico monstroso*, HOLTER-
MANNVS

MANUS de monstroso fine lege Jcto. Missis ejusmodi *impro-*
priis, *proprius* valor hic attendendus est. *Proprie* iterum varie su-
 mitur hoc vocabulum, modo *latius*, modo *strictius*, & utrinque
 tot occurrunt diversitates, ut dictu difficile sit, in quo figendus
 tandem sit *monstri conceptus*, qui neque rei repugnet, neque ni-
 mis abhorreat ab *usu loquendi*. Re ultro citroque animo agitata,
 collatisque aliorum conceptibus, intellexi in mediæ latitudinis si-
 gnificatu subsistendum esse, quo fixo *portentum*, *prodigium*, *osten-*
tum, *mola*, aliaque vocabula, vel tanquam *synonyma*, adeoque
otiosa, expungenda essent, vel usurpanda alio ipsis dato pro-
 prio significato. Hoc proinde, ni fallor, *monstrum* dicendum
 est, corpus vitale, quatenus ab ordinaria sui generis constitu-
 tione nativa deflectit. A consueta sui generis *constitutione*, non
 conformatione deflectens dico, ut apertius *monstra quantitatis* in-
 volvantur, quæ priori *termino* facile videri possent excludi. A sui
 generis solita constitutione *nativa* seu: a *nativitate prima*, ita de-
 flectens involvo, partim quia *strictior* hæc *acceptio usui loquendi*
 non repugnat, utpote quam ipsa vernacula nostra innuit vocabu-
 lo: *Missgeburt*, partim, quia eadem in substrato de *monstrorum*
origine argumento magis commoda esse visa est. *Latius* enim de
 quacunque insueta constitutione accepto hoc *termino*, præmissa di-
 visione insuetiori de *monstris nativis* loqui debuissim, quod forte
 quorundam aures offendere potuisset. Reliqua hujus *definitionis*
 explicatio repeti potest ex citatis duabus *Diff. PATRIS*, quæ in-
 scribuntur *Tripes: H.* continuata §*phorum* serie conscriptis. §. 41-53.
coll. 59. 60. 70. Jam quærere licet:

Monstra unde?

quæ eorum possibilitas?

§. XXVII.

Externa nempe? De *interna* enim non amplius quærendum,
 utpote quæ ex præmissa innotescit quæstione (§. 26.). *Externa*
existentiæ eorum rationem respicit. Ecquæ ergo hoc sensu dicta

C

mon-

monstrorum possibilitas? seu, quod idem est, quæ eorum *origo possibilis*? Aut, respondeo, illa sunt *divinæ supranaturalis originis*, aut *naturalis*; si illius, tum *aut primæ creationis* opera sunt, aut post illam edita *miracula*; si posterioris, *naturalis* nempe, *originis* sunt, tum *aut ad præstitutas* & divinitus scriptas naturæ leges, adeoque *necessario*, suam nanciscuntur existentiam, aut *ex accidenti*. Hi omnes sunt *modi possibiles*, quibus fieri potest, ut monstra existant. Distinctius eos ita ob oculos habere, & prius exponere decet in hac doctrina, ne vagis meditationibus in ea oberremus, quod iis accidit, qui obiter, & non satis determinate, de *monstrorum origine* disputant. Ut hoc uno monitum hoc illustrem. Discitur utrum *divinæ originis* sint monstra, nec ne? Sed in ejusmodi doctrinis adeo momentosis & res, de quibus controvertitur, discussius exponi oportet, & exactius propriusque formari *status controversiæ*. Hic itaque non obiter quærendum: an sint *originis divinæ*, sed *distinctius*: cujus sint *origines divinæ*? *Divinæ* enim *originis* esse possunt, non *primigenia* tantum, quæ alias, neque præmissa adcuratiore *distinctione*, neque subjuncta debita asserti demonstratione, existere præsumuntur, sed &, quæ post *creationem* producuntur *miraculoso* modo. Quin ipsa *naturalia*, divinitus in cursu naturæ *præstituta*, hic non plane excludenda sunt,

§. XXXVIII.

Verum quotuplex monstrorum hæc sit possibilitas, dicere hætenus facilius erat. Atque, quæ existentia eorum *causa effectrix*, vel probabilior sit, vel *actu existat*, hoc dictu longe difficilius, *A posse ad esse non valet consequentia*. Non ideo perinde fuerit, qualemcunque assumserimus *possibilitatem*, quamve inde formandam *hypothesin*. Nimis *hypothetica* foret ejusmodi philosophia. Ultra, quoad licet, progrediendum est. Examinandæ sunt *hypotheses*. Disquirendum, quæ alteri præferenda. Quin, quod maximum, eo enitendum nobis est, ut, si feri possit, ab ejusmodi veritatibus *hypotheticis* ad veritatis *certitudinem* evehamur. Id autem fieri potest, & posset sæpius, quam credimus justo timidiores,

aut

aut nimis otiosi, iis nempe, quæ stare & admitti nequeunt, rigoro-
rosiore examine remotis. Tum enim ea, quæ sola superesset *hy-*
pothesis, non amplius esset *hypothesis*, non amplius esset *probabilis*
tantum sententia, sed omnino *certa*, & *evicta*. Hæc illa veritatis
via est, qua ad eam, non per devia, sed per necessario sapius, nec
frustra tamen, faciendas ambages eundum est. Hæc demonstan-
di ratio, *demonstratio per indirectum* vocatur, adhibenda omnino,
ubi vel non datur *demonstratio directa*, vel si datur, ad majus ve-
ritati robur conciliandum combinanda est.

§. XXIX.

Eo itaque & mihi in hac doctrina pro viribus tendendum esse
existimavi. Liceat facere periculum, salvis aliorum melioribus.
Arduum molior, largior. Verum discendi, non inclarescendi, stu-
dio id molior. Viam eo mihi parandam esse video hoc erotemate:

*Quanam certioris de monstrorum origine doctrinæ
proximiora sunt, & evidentiora fundamenta?*

§. XXX.

Quærenda omnino hic esse duxi, & repetenda non proximio-
ra tantum, sed & in hisce tenebris luculentiora, & sole clariora.
Vtrum illa *evolutione*, an *generatione*, producantur, primario etiam hic
disquiritur. De horum itaque *terminorum* valore aliqua præmitten-
da sunt. *Generatio* proprie, *strictius*, & *subjective*, dicta involvit
productionem, si quidem distinguenda sit, ab *ortu*, *origine*, *ini-*
tio, *evolutione*. v. *Tripes H.* §. 87. 88. *Productio* est operatio, qua
quid suam ab altero accipit existentiam. Differt ergo eatenus ab
eductione. Quæ educi, ea non produci, dicuntur. Sin itaque *evo-*
lutione tantum prodirent vitalia, ea *generari* dici non possent.
Quare in illa de *evolutione* doctrina, vel aliter sumitur, quod *defi-*
nite indicari oporteret, vel *vage* usurpatur. Sed *proprie evolutio*

non est veri nominis *generatio*, qua, quam propaganda antea non habuerant, accipiunt existentiam. *Univoca*, & *equivoca*, *generationis* discrimen nullam habet difficultatem.

§. XXXI.

Involutionis hypothesin eadem premit difficultas, quæ illum *processum in infinitum*, in physicis sane absurdum. Taceo alias in eo difficultates.

§. XXXII.

Propaganda in illa theoria *creatione producta* assumuntur, sed hoc etiam non assumto, ideo non sequitur, sola *involuta* esse *præformata*. Namque etiam non *involuta*, *dispersa*, præformata esse, *hypothesis* esse potest, estque reapse quorundam sententia. Verum huic, ut priori, gravissima reclamitant *S. Scripturæ & rationis* edicta.

§. XXXIII.

Cardo rei in hoc itaque vertitur. *Aut*, quod in utraque prælibata de *involutis & dispersis* staminibus propagandorum *hypothesi* præsumitur, creationis opere jam omnia quotquot præformata sunt, *aut* postea producuntur. Aliorum illud, hoc Aliorum, est assertum. Dispiciamus de utroque præmissis præmittendis veritatis principiis, iisdemque quidem, qui nemini facile dubia esse possint, vulgatissimis, ea tamen propter haud spernendis. Tritissimum illud: *DEVS & natura nil faciunt frustra*, quasi nimis vulgare esset, tam parce adplicari, & vilius, quam quod hic alibive ab altiora scilicet! sapientibus, excitari mereretur, mirum omnino est. *v. Tripes H §. 95.* Id vero nil impedit, quo minus ita assurgere ausim: a) *Sapientia nil facit frustra*; b) *E. quæ ad præstitutas leges operatur natura, in illis omnibus nil fit frustra*; c) *E. quæ illa rectrice fieri possunt per pauca, illa non fiunt per plura*; d) *E. via brevissima*; e) *E.*

e) *E. quæ via paucioribus minoribusve impedimentis obnoxia, ea non alia obstaculis magis obnoxia, sunt via*; f) *E. quæ axiomatica adeo nondum satis perpensa esse videtur veritas, quæ fieri possunt per inferioris ordinis vires, illa non sunt per superioris ordinis potentias*; g) *E. quæ per vires creaturæ, ea non per CREATORIS*; h) *E. quæ per mechanicas, illa non per spirituales.*

§. XXXIV.

Jam omnihus hisce evidentissimis, pariter atque certissimis, incussisque, principiis repugnant tam *involuta*, quam *dispersa*, propagandorum seminia *præformata*. Id, quod per singula eundo demonstratu foret facillimum, si præsens id postularet institutum, nec dictorum propior adplicatio cuivis æque facilis esse posset, idemque quoad potiora causæ momenta jam factum fuisset in *Dissertatione de Tripede H.*

§. XXXV.

Hactenus assertis meis nullas immixtas video *hypotheses*, quibus alias ponuntur, quæ etiam aliis modis poni possunt. Separabo easdem abs ultra jam expendendis. Si juxta præhabita ab incunabilis hujus universi in eo propaganda non exstiterent præformata, adeoque suam existentiam serius accipiunt, quomodo illam acquirant, dispiciendum est. *Diplex* hic iterum assumi potest *hypothesis*. Aut enim immediate a DEO producuntur, aut via naturali in lucem prodeunt. Priorem *hypothesin* eadem refutant, quæ modo proposita sunt, principia (§. 33). Et quisquis id asserere vellet, is aut DEVM animam mundi faceret, aut perpetuorum miraculorum Autorem. Neutra sententia veri habet similitudinem, Vtraque sæpius jam infirmata. E. via naturali nascuntur propaganda, generantur, inquam, (§. 30). Q. E. D.

§. XXXVI.

Sed quæ per *generationum seriem* ita fit propagatio, ea vel ad præstabilitas a CREATORE leges, adeoque necessario fit, vel aliquid

quid ex *accidenti* illi immiscetur. Neutrum **CONDITORIS** sapientiæ repugnat. Posterius a *causis voluntariis*, nec aliunde repetendum est; *Optimi mundi* summa in *liberas creaturas* recidit. Pro eorum itaque libertate vel pessima pessimarum voluntatum effecta admittenda erant, a **SUMMA PROVIDENTIA** prævisa, **SUMMA SAPIENTIA** ad *optimum optimi mundi finem* dirigenda. Hæc *accidentia casu*, vel forte *fortuna* fieri dicuntur. *Casus* enim & *fortuna* differunt. Ille causam per accidens mere physicam, hæc causam per accidens voluntariam dicunt. Qui *fatum* differat, quove sensu alio alias accipiat *casus*, hic curare nil attinet. *Naturæ* autem *accidentia* hic dicuntur, quatenus natura in toto suo ambitu spectatur, & cursus ipsius divinitus præstituti *necessariis* opponuntur. Alias *accidentia* etiam dicuntur, quæ his illisve creatis præter suam naturam privatam accidunt, licet ceteroquin quoad leges totius necessaria sint.

§. XXXVII.

Supereft discrimen, ad quod in hac doctrina non satis attendi videtur, haud negligendum. Quæ scilicet, ut alias, ita præsertim etiam in generationis phænomenis juxta præstitutum naturæ cursum accidunt, ea vel juxta ejusdem leges vulgares, magisque solitas frequentius, vel juxta minus solitas rarius, eveniunt. Inde generationes, & hisce producta, probe distinguenda sunt, & juxta hanc, notatu adeo dignam varietatem, dividenda, in *ordinaria* & *minus ordinaria*. Ita evitantur alias faciles *logomachia* & *errores*, v. c. quando disputatur, quæ *casu* nata fuerint, quæ non *casu* facta. Ex quo proinde patet, quæ infrequentiore naturæ lege accidunt omnia *casu* fieri, obiter dici non posse, veluti de *casu natis* ita nonnumquam, aut *vage*, aut *erronee*, loqui solent.

§. XXXVIII.

Sed in callem. His præstructis brevissima via me expedire potero in reliquis de *monstris*, horumque *origine*, pressius faciendis quæstionibus, quarum proxima hæc est:

Monstra

Monstra an primigenia?

§. XXXIX.

An a prima rerum origine producta adeoque creata? monstrorumne Creator DEVS ipse? Mira hic esse videri posset *dissensio*, & maxima, quæ tamen aut nulla est, aut non tanta, ac putatur, quamque tam facile componere possunt prædicta irenica (§. 33-37). Sunt qui contra ILL. HALLERVM, aliosque, qui monstra divinæ originis esse statuunt, monstrorum productionem in DEVM OPTVMVM MAXVMVM refundere, impium & blasphemum esse clamitant. Reclamitant hisce magni illi Viri impium esse potius & irreligiosum non agnoscere velle adorandam, quæ in illis se proderet, SUMMI OPIFICIS ubertatem, eo mirabiliorem, quod a vulgaribus viis declinans, divitias suas luculentius comprobet. PETR. ISAAC. POISSONNIER suam egregie exaratam, *Questionem medicam Parisiis 1742. d. 4. Jan. defensam*, ita finit: *In monstris, quid stupens contemplaris membrorum confusiones, deordinationes, translationes, uniones nocivas functionum, vitæ, sanitati, speciei propagationi, necessariorum abolitiones, depravationes? Numquid SUMME POTENTE ARTIFICE adeo ridicula, adeo manca, opera digna forent? causalium accidentalium charactere obsignantur, quæ ordinis & consilii nesciæ, in obvia quaque, cæco modo agunt. E. monstris non ab origine.* ILL. HALLERVS §. XVI. Nr. VI. l. c. (§. 5.) Antagonistas suos ipsemet ingenue ita clamare finit: *Minime dignum videtur divina sapientia, ut directâ intentione voluntatis suæ creaturas fingat, quæ non nisi infelicissime vivere possint. Casibus humanis, secundarumque causarum viribus, morbos mortemque generandi potentiam concessit DEVS; ipse e manu sua nil nisi perfectum emisit.* Aut omnia me fallunt, aut irenica sunt, perque apta, ad tantas componere lites, supra jacta hujus doctrinæ fundamenta (§. 33.) quantumvis juxta illa statuendum sit, monstra ab origine non esse. Ultraque litigantium pars vera loquitur. Digitum DEI produnt ipsa monstra, sed primo non omnia, nec eodem modo, deinde non sequitur, ideo illa creationis opere jam esse præformata. Neque

que igitur, quæ hic sustinetur sententia, nimis favet illis, qui ab origine monstra esse negant, neque iis, qui id adfirmant, contraria est, quatenus naturæ instituto producta admittit, ut ex mox dicendis elucescet. Ita vero illa cum utraque priorum in unum consentit. Pergo quærere :

*An ab involutis, an a dispersis semineis
monstrorum origo repetenda?*

§. XL.

Neque dispersa in hac, neque in illa *involutionis* & *evolutionis*, via ista adventare, quæ supra (§. 33.) dicta sunt, probant, æque ac quæ proxime (§. 39.) demonstrata, quoniam juxta hæc primigenia non sunt, qualia eorum *involuta*, & *dispersa*, semina supponunt.

*An monstra, si non a creatione existunt,
creatoris tamen post illam opera sunt immediata?*

§. XLI.

Solvunt hanc quæstionem pariter jam dicta, ductis inde argumentis a *sapientiæ regulis* (§. 33. 35.); *ab universali ad particulare*, *axiomatice* adeo. Sin etenim ne quidem propaganda ordinaria, sin horum nulla manu DEI immediate producuntur, etiam non hæc, & multo minus, ab illa emittuntur. Jam ultra quæro:

An

*An ergo monstra, toties altioris sapientiæ elogia, si non ipsius
CREATORIS SAPIENTISSIMI, sapien-
tiorum tamen creaturarum effecta sunt?*

§. XLII.

An addo, spirituum, Angelorum, Archangelorum, Dæmo-
num, Archæorum, præsidum DOLÆANORVM, quorum alius Car-
dimelech, alius Gastranax dicitur, quibus noviter additur Myo-
melech, aliorumque, vel Præfectorum, vel stationariorum, hæc sunt
opera? Responsum est supra (§. 33. e. f. g.). Præterea *Sacræ
Scripturæ*, æque ac sanæ rationis, principiis repugnare THALETIS,
qui omnia spirituum plena fecit, ceterorumque PNEVMATICORVM
placita hypothetica, pluribus MAGNI evictum dederunt VIRI, qui-
bus vero heic non conceditur locus. Quare ad hanc propero
quæstionem:

*An ideo corporeorum natura, ordinis & consilii expers,
monstrorum, adeo artificiose sæpius efformatorum,
genetrix?*

§. XLIII.

An, inquam, generationis ita præstitutis legibus, mechanicis
purisve, vel organicis, producantur? Respondent iterum me ta-
cente prædicta (§. 33. 42.) Hoc assertum, ut firmum est, ita
omnium maxime nihilominus offendit quam plurimos. Sed hisce
præconem constituo, me pulcrius & disertius perorantem, jam
laudatum POISSONNIER, qui §. V. l. c. (§. 39.) ita: *si ab actione,*
D in-

inquiunt, *harumice* causarum, quas infausta fortuna movet, quæque cæco impetu feruntur, eruenda foret monstrorum origo, ipsarum agendi methodus oculos, sedulo, doctæ, attente inquirentes non fugeret. Quibus tale arridet ratiocinium, de sua in inquirendo sagacitate modestè satis sentire non videntur. Ergone ipsis abstrusiora arcana pandere debuit natura? causarum accidentalium ipsimet imperium constituentur, ubi ipsas in agendo pededentim subsequi possunt. Sed si illarum actio lucem refugiat, captumque nostrum exsuperet, ergone aliud ex origine, aliud ex accidenti, portentosum numerabis? Nequaquam. Uniformi gressu procedit natura, cujus si non semper insistere vestigiis valeas, curiosius intende, diligentius inquire, si adhuc incassum, humanam fatearis tenuitatem.

§. XLIV.

Arcanam hanc naturæ vim formatricem evidentius in lucem producere, & comprobare liceret quam plurimis aliis, nisi verendum esset, ne offenderent, saltem eorum genium, quibus quotidiana, omnibusque obvia, levidensia esse videntur, nimisque vulgaria, nec talia, quibus Docti amplius immorari soleant. Sed temperare mihi non possum, quin aliqua per transennam conspicienda præbeam. Præter illas nobis cognitæ naturæ vires viriumque leges mechanicas, CONDITOREM præstituisse alias, nemo negaverit, re ipsa autem naturæ insitas esse, quæ omnem nostrum captum superant, quarumque rationes legesque in *dynamice* atque *mechanice* nostra nos profundissime latent, vel *communissima* loquuntur *phenomena*. Ad hæc, si obstupescimus, cur non ad eorum causas effectrices occultissimas? cur non, quoad has, ad nostram ipsorum circa illas ignorantiam profundissimam? An ideo, quia quotidiana, & vulgaria? Quæso! In exemplis sunt *radiorum lucis* & *soni*, certe *materialium* rerum, arcanissima *phenomena*. Quis vel acutissimorum gloriari potuit, se harum *virium formatricium* rationes & *causalitates* detexisse, aut qui fiat, ut mirabiles illas edant formas, quarum tot myriades, mini-

minimo in tempore, minimo in spatio, prostant, perspexisse? Effectus earum viriam metiri possumus, & satis exacte, *causas effectrices* & *causalitates* quam profunde nos latent! Hæc certe, quod unicum addo, in tantis nos tenebris luculentissime docent, non possibiles esse tantum, sed actu existere, *ejusmodi vires formatrices*, a SUMMO PLASTE naturæ corporeæ insitas, quibus formas rerum debemus in macrocosmo, cur non tanto magis in microcosmo, inque hujus generationibus, propagationibus, ordinariis & extraordinariis? Ita, si non ruditer palpanda, *auribus oculisque* tamen, & *semper*, & *ubique*, *omnibusque*, percipienda se præbet natura formatrix. Ita eadem tam clara voce nos inclamat, & *quotidiana avtopsia* nos tam aperte edoctos, operis sui *testes* nos esse vult *ocultatos & auritos*. Plura non audeo.

§. XLV.

Hisce (§. 44.), & prioribus (§. 33.), una responsum esse existimo ad quæstiones, quæ ultra formari possunt de *generatis* juxta & contra regulas naturæ ordinarias, adeoque de *monstrosis* etiam, quæ vel *casu nata* dicuntur, vel juxta divinitus scriptas leges in publicam hanc lucem prodeunt, & scenam suam ludere jubentur, consilio CONDITORIS, & *fine* SAPIENTISSIMO, de quo quædam ILL. HALLERVS, §. 16. P. 6. p. 217. l. c. (§. 5.), quæ legi merentur, & ultra explicari. Plures horum phænomenorum *fines* hæ meditationes speculabundo obtulerunt animo, quas vero hic enarrare non licet.

HALLERVS:



Innre der Natur dringt kein erschafner Geist
Zuvel, wann sie uns nur die äußre Schaale weist.

§. XLVI.

Ceterum quicquid fuerit, quod de *rerum causis* & *finibus* scimus, id omne, eorum, quod nescimus, vel minima particula est, quin tam parum, ut prope ad nihilum redigatur. Unde SYRACIDES C. XLII. v. 17, 23. coll. C. XVI. v. 19 -- 20: 24 - 28. inquit: ne sanctis quidem datum esse miranda Dei satis digne deprædicari, eaque tanta, tamque magnifica esse, ut vix eorum attingamus

P V N C T V M







el, wenn sie nur die höhere Schule treibt.

2. XLVI

D 2